

Za
501





F. K. 50.

821

VENUS. MEDICA.

AMPLISSIMO. HONORI.

QVEM.

DOCTORATUM.

VOCANT.

QVATUOR. VIRO. CLARISSIMOR.

PAULI. AMMANI. URATISLAV. SILES.

GABRIEL. CLAUDERI. ALTENBURG.

JOH. CENTUR. MACASII. VALLE. JOACH.

JOH. GEORG. REINHARDI. LEUCOPET.

SACRA.

DEDICABAT.

LIPSIÆ.

FRID. RAPPOLT. POES. PROF. PUBL.

XII. KAL. NOVEMBR.

A. E. C. cl^o l^oc LXII.

LITERIS. JOH. ERICL. HAHNII.



AD.

GRATIOSISSIMUM COL-
LEGIUM.

CONSUMMATÆ. PERITIÆ. MEDICORUM.

D. JOH. MICHAELIS. DECANI. PERPET.

THERAPEUT. P.P. COLL. PRINC. UTRIUSQ. COLLEG. ACAD.
XVIRI. ET. ARCHIATR. SAX. ALTENBURG.

D. GODOFR. WELSCHI. SENIOR. PATHOL.

P.P. COLL. PRINC. MAJOR. COLLEG. ACAD. XVIRI.
ET. PHYS. LIPSIENS.

D. LEONH. URSINI. PHYSIOL. P.P. COLL.

PRINC. MINOR. COLLEG. COLL. MED. NORIMB ADSESS.
ET. ACAD. LIPS. BOTAN.

D. MICHAEL. HEILANDI. OLIM. ANA-

TOM. P.P. EXTRAORD. NUNC. PRACT. FELICISS.

D. HENR. ANDR. MENGERINGI. COLL.

PRINC. MAJOR. COLLEG. ILLUSTR. SCHOLÆ.
GRIM. MEDICI.


PRÆFATIO.



*Na dies quatuor Sarrano vestiit ostro;
• AMMANI sanxit conjugium una dies.
Non poterat nostrâ non dici utrumque Camenâ:
Viribus illa minor quâquam ad utrumque fuit.
Namque ubi mens MEDICAM versu celebrare MINERVAM: †
Ingesit MEDICAM se VENUS ipsa mihi.
Dividor, & laudi, clarissima nomina, vestra
Detrahere hinc cogor, vel tribuisse minus.
Vosque adeo, Divam qui jungi vultis utramque,
Hanc veniam Proceres nunc mihi jure rogo,
Si sunt hæc crasso deducta Encomia filo,
Nec vestra in versu nomina ubique sonant.
Carmine quod nostro non dicta est sola Minerva,
Si minus irata, at crassa Minerva fuit.*

† P. Victoris Lib. de Region. U. R. Reg. V. J. Gruter. Inscript. p. MLXVII. 3.

Qvis



Vis furor, Actææ dum fervent atria
Divæ,
Et Sarrana sacros comitatur purpura
fasces,
Idalias miscere faces & gaudia lecti?
Qvis, Paphiæ fomenta deæ, curamqve medendi
Tollere, & artifices Sanantum spernere dextras,
Ac palmas tenuare graves? Ignoscite Musæ,
Si veltra insubido temeravimus Orgia verbo,
Atqve his insolitos titulos præfiximus antis.
Non injussa cano, nec vatum somnia vendo:
Fas modò sit, tenui verum narrare Camena,
Et non ingrato certamina prodere versu.
Jusserat extructum jam ritè ascendere pontem,
Ostro conspicuum, & sublimi sistere tigno,
Pœonium in morem tunicam succincta fluentem,
Aureaqve augustam fulgebant poma per ædem,
Atqve impacta genis cernebant oscula cives;
Cum dea, successu læta, & felicibus ausis,
Bis binos complexa viros, sic ora resolvit:
Salvete illustres animæ, mea maxima virtus,
Et doctam exosæ Libitinæ opponite mentem,
Auctumno quæ fisa gravi nunc dira minatur

A 2

Omnia



Omnia, & hæc aliqvâ turbare insignia gestit.
Tuq; AMMANE prior, qvonato Bresla superbit,
Audaces elide minas, tumidæqve resiste,
Namqve potes, succos atqve auxiliantia morbis
Gramina jam dudum edoctus, naulumq; Charonti
Eripere, & Stygiis censum intervertere mensis.
Nec tibi sola favet nostris Philurea repertis
Officiosa parens, aut vires vendicat istas;
Sunt Batavi, sunt & felices arte Britanni,
Sunt alii, ingenio qvi te videre venusto
Interioris opes Naturæ, imosqve recessus
Scrutari, & reducem non vanâ ostendere pompâ.
Sortem fata dabunt: & jam felicia Parcæ
Nescio qvæ niveo deducunt stamina fuso,
Atqve novo nobis Epitymbia nomine pugnans
Ipsa tibi certam promittit Diva salutem.
Alter ades CLAUDERE, atq; his advesce triumphis,
Qvos generose meres. Plaudet tibi nofter Apollo;
JENAQ; ROLFINKI famâ MOEBIQ; celebris
Eminus ad veteris palmam exultabit alumni,
Et Belgæ ingenuæ laudabunt præmia frontis,
Ac te LINDENIIS, te CORNELIISq; studebunt
Æquiparare suis, qvorum tibi maxima qvondam
Surgere in exemplum cura, atqve effingere mores,
Anglia dum cepit, Medicorum sedula nutrix,
Et, visâ Oxonii & Londini nobilis urbe,
Vlissingæ appulsum Germanis reddidit oris.
Ipsa qvoq; antiqvam virtutem Oenotria tellus
Argu-

Argutasque manus MOLINETTI ad fidera verbis
MARCHETTIQ; feret, nostrique extollet amorem.
Urbs Venetum antè alias, Varoq; inclusa tumentis
Et Macra undanti regio Eridanoque superbo.
Nec, quæ transmisit, montosa Helvetia laudes
Amplificare tuas cessabit, & aspera saltu
Rauraca, BAUHINIS sedes nota atque PLATERIS.
Sic, quâ coepta viâ est, non impediunda recurret
Gloria, in Oceanum rivi ut cecidere minores.
Tu modò funereæ minuisse æraria divæ
Hic mecum tantisper ama, patriæque roganti
Præsidium & vitæ servandæ debita præsta.
Adde te socium nobis, dilecte MACASTI,
Et, quem fata virum nimium festina Medentum
Subtraxere choro, gemina præstabis in arte.
Ille potestates herbarum, ille abdita terris,
Arcanosque sinus, lapidumque innata docebat
Robora, & ingenio occultas penetrabat abyssos.
Viveret, haut Phryxi solus sibi ferret Jason.
Vellera, & auricomos decerperet arbore foetus
Tros Anchisiades. Vatem sese ille gerebat,
Remigiumque tibi. Tu porrò audentior ibis,
Auspicioque meo, sic te globus aureus iste,
Sic data sceptrâ juvent, clauso potiere metallo,
Aureaque, hæc spes est, moderabere fila sororum.
Qui mihi sandapilas, qui cari funeris arcas,
Et vespillonum lucrum insatiabile tollat
Interea, REINHARDUS erit, cui splendida vitam

Leucopetræa dedit, clarisque parentibus orto
Lipsia Apollineam non invida contulit artem,
Hayna urbs fortunam facilem, Offatiumq; maritam.
Pransus adest, (sed quid titubanti allucinor ore,
Cernere præsentem cum non sit? Scilicet olim
Pransus adest) templique mei non advena pulsat
Limina, nec primas spernit temerarius anfas,
Qualis, quem in vicis langventum circulus ambit,
Pharmacopola solet, vel duræ frontis Agyrta.
Scit Sophie, scit nostra Sais, quàm perditus olim
Triverit hanc pernoxque viam, quæ ducit ad arces
Has falebrofa meas & summo culmine fistit
Certandi haut segnes animas. Non improbus ille
Ferales minuit quæstus, sed perfidus auget,
Et spissa ancipiti transmittit corpora cymbâ,
Qui saltu volucris grassator in ardua tendit.
Sic ait, inque humeros injecto exfuscitat iras
Vellere, Tænario bis tinctâ murice lanâ,
Ut medios olim procurrat belua in hostes
Rore, Lyæ, tuo conspersa, & sanguine mori
Fortior, & vastâ prosternit mole phalanges.
At Venus hæc dudum non æquo lumine cernens,
Seqve dolens tristi Libitinæ voce notari,
Lactea quâ purâ cœli plaga luce coruscat,
Æmula, Sola, inquit, medica se tollat in arte
Pallas, & Idæo nobis, cum livida formam
Redderet ambiguam jactò dea in æthera malo,
Judice posterior, tanto præcellat honore?

Et

Et mihi Pœonias herbas viresqve medendi
Nosse datum, meqve haut ignobiliore rubentem
Magna satu genitrix cœlesti Ops intulit aulæ:
Et me cingit Amor celeresqve Cupidinis arcus,
Et triplex blando circumstat Gratia vultu:
Qvâq; olim natum lymphâ longævus Japis
Abluit, haut Phœbi redolebat vivida succos;
Nostrâ erat illa manu, Dictamno infecta, salubris.
Ipsa Jovem servo, cum vel Nonacrïde pulchrâ
Hæret, & acceptos circumfert osibus ignes
In faciem Triviæ versus, vel faucibus alto
Vulnere Sidonias inter mugire juvencas
Cernitur, & blandis alludere Agenore natam
Morsibus, aut flavis deponere corpus arenis.
Primus amor Phœbi Daphne Peneia; prima
Ipsa ego, cum nullis esset medicabilis herbis,
Infantum charo sedavi stipite amorem,
Et laurum intonsis flexi ingeniosa capillis.
Prima laborantem, qvanqvam mea furta marito
Detulerat, grato fomento haut dura levavi,
Leucothoe penitis juvenem torrente medullis.
Et medicâ neger arte potens? Qvis vulnera nescit,
Non humili districta manu, non deside plumbo,
Principis ERNESTI, qvis celsi pectoris ignes?
Scyria sic tenerum virgô flammavit Achillem,
Hippomenem cursu velox Atalanta, sed auro
Victa meo tandem & doni gravitate moraqve.
Jam dolet ille minus, postqvam connubia sanxi,

Et dextram complexa viri, complexa puellæ,
Heroâ similes promisi stirpe nepotes.
Neve putes solâ sapere hæc me, haut ulla docentē,
Ecce pharetratos stantes ad pulpita fratres,
Gnaviter & charæ matris dictata notantes,
Quantū non avidis Thetidos puer auribus hausit,
Semiferi præcepta senis, seu traderet herbas,
Sive lyræ modulos, seu sævæ cuspidis ictum,
Conversâ in graphium celeri plerunqve sagitta.
Vel meushic (nato caput ambrosiosqve capillos
Mulcet) quàm nostras tractat dexterrimus artes,
Callidus ægrotos, quâ læsit, cuspidē amantes,
Sanare & propriis opponere pharmaca morbis,
Pergameo melior juvene & Chironis alumno,
Letalem placidamqve manum quo sensit in uno
Telephus, & patrias sospes remeavit in oras.
Nec mihi nulla super discentum præmia, nec se
Exercet temerè pubes operosa medendo.
Et frontem Paphio cingit de robore myrtus,
Et nostra manat stalaria purpura concha,
Non lauro minor illa gravi cinctuqve Gabino.
Oscula quid memorem? quæ non sua tetrica virgo
Dividit, Idaliis primùm nascentia in hortis,
Et lato dein sparsa solo. Nostra illa laboris
Exacti merces, nostræ sunt gaudia turbæ,
In thalamis quæ stipo sacris, spectante meorum
Haut numero exiguo, latèqve iscingor, Amorum.
Quid poma & fulvum digitis sudantibus aurum?
Hæc

Hæc quando datur arrha viris, datur arrha puellis,
Et mihi Massylus servat pomaria serpens.
Scilicet & nostro servantur dogmata ludo,
Scitaque, nil Coi gravibus cessura libellis,
Et sua ab ignavis repetunt præcepta Magistri.
Qualia cum tumidis primùm se emergeret undis
Fortis inexpertam docuit Leander amicam,
Oenonen Phrygius pastor, formosus Jason
Dilectam Hypsipylum, vates meus ille Corinnam.
Vultis in exemplo quid possum dædala monstrem?
Jam mihi missus Hymen, mutâ celeberrimus arte,
Et fessis animis speratam afferre salutem
Auxiliumq; potens, festos instaurat honores,
Et sacra indicit teneris agitanda colonis,
Quos passim errantes Erycino in vertice cerno,
Ore alacres, ævo similes & mollibus ausis,
Ornatu plausuq; pari. Nox una sacrorum
Pronuba discrimen faciet; quodq; orbita Phœbi
Lucida collatum vidit decus, æmula fratris
Conciliare soror sexu alternante studebit,
Nostraq; per mediam rutilabit purpura noctem,
Virgineo Tyrium pulchrè illustrante colorem.
Orchestram thalamo præstabit, sponda cathedrâ,
Et sua pro rostris dicentur verba, sed aurem
Qualia in occultam Junoni mollia dixit
Jupiter, aut Thetidi jucundo murmure Peleus.
Materiem Hippocrates, quoniam hanc Diva invi-
da laudem

Eri-

Eripuisse mihi gaudet, dux ipse medentum,
Præbeat, & medicis paria argumenta palæstris,
Sexq; meus tractet Res voce orator, & omni
Se Celsum ratione gerat. Curatio motum
Nostra amat, & gratam post tentamenta quietem,
Et ducta assiduo spiramina lenia flatu
Atque reducta simul: friget sine numine vestro,
Bacche pater, tuq; alma Ceres: utque incipit inter
Assensus vigiles, sic te, placidissime divum
Somne, novas vires atque incrementa capesit,
Extremo fessos tangente cacumine virgæ;
Et risum è lacrimis, è bello foedera sancit,
Iras neq; vicquam & pugnas simulante puella.
Meque adeò me posse probet languentibus ægris
Non Coò sapiente minus, non Pallade docta
Addere opem, & fractas reparare in pristina vires:
Quodq; oneri est, longè secernere, quodque saluti,
Sollicitâ retinere manu, validumq; referre
Corpus, & his ludis nostris & amoribus aptum.
Sic habito sermone, & sic umbone relicto
Suggestus alios scandat, factusque Brabeutes,
Maternis alacer monitis, jusq; verendis,
Oscula mellifluis pangat fragrantia labris,
Clusius & fiat libro atque Patulcius, & se
Præco gravis nunc has partes, nunc vertat in illas;
Dum planè, edoctam jam nostras funditus artes,
Nominis antiqui titulum momentaque mutans,
Doctricem blando pronunciet ore puellam.


Ipse

Ipse, marite, nuces, missurus munera, sparges
Aligerum risus & plausus inter Amorum,
Et grato Veneri vinces digitalia dono,
Dilanianda manu vel permutanda rapaci.
Dixerat, & mediæ sese infert aurea pompæ,
Et mirâ incessum mutat ratione viamque:
Quosque sequi fasces, ad prandia lauta Minervæ,
Magnificasque putes epulas, per compita pasim
Fœmineo ad mensas sexu properante jugales,
Seqve viris sociante, ad festa Hymeneia ducit,
Suppositis lepidè pueris, tædâque micantes
Non unâ fasces referente & sceptrâ Lycei.
Ut tetigere domos, calathos jam verterat imos
Obsequiosa cohors, imbresque operosa rosarum
Sparserat, & sero collectos undique flores
Tempore, spirantesque crocos & balsama tecto
Gemmatis effusa cadis, thalamumque parârat
Vestibus ingestis picturatisque tapetis,
Et capto quondam maternis hostibus auro.
Qualis ad obsequium steterat, cum Lydia dives
Nupsisset Pelopi, mollemque mero ebria Baccho
Indorum spoliis & densis struxerat uvis
Palmitibusque torum. Tum vultu Æneia blando
Prima manu genitrix dolci probitate rubentem,
Leniter & flexo figentem lumine terras
Sponsam (namque illi tacitè cor æstuat intus)
Tangit, & incertos explorat provida pulsus.
Jamq; haut invitè morbum flammâsq; fatentem
Tol-

La 507 FR

Tollit, & his ultrò sancit connubia verbis:
 Vivite felices, & nostro munere vires
 Colligitote novas, veteriqve nitescite formâ.
 Oscula mille sonent: nec te studuisse Minervæ
 Quàm mihi, chare, minùs, juvenis, fas, pallida, nec tu
 Pensa magis divæ, quàm nostra hæc, pollice tractes.
 Franget utrumqve labor. Sin vos incendia rursus
 Nostra cument, Panacea prior levet ista dolorē,
 Nectaris & Paphii succo refrigeret æstus.
 Fons erit illa tibi; tu fortem sedulus illi
 Præstabis, generose, virum, medicasqve timentem
 Fortè manus blandis semper solabere verbis.
 Cætera Noctis erunt; nec jusso munere fungi
 Purpureus cessabit Hymen. Vos pectora curis
 Emaciata deo & castas summittite flammæ.

FINIS.



WDR



Pon. Za 501 FK

ULB Halle 3
004 840 78X






F. K. 50.

1801

VENUS. MEDICINAE

AMPLISSIMO. HONORE

QVEM.

DOCTORA

VOCANT.

QVATUOR. VIROR. CLARISSIMOR.

PAULI. AMMANI. URATISII.

GABRIEL. CLAUDERI. ABRAMI.

JOH. CENTUR. MACASILVAE.

JOH. GEORG. REINHARDI.

SACRA.

DEDICABAT.

LIPSIAE.

FRID. RAPPOLT. POES. P.

XII. KAL. NOVEMBR.

A. E. C. clō 15c LXII.

LITERIS. JOH. ERICI. HAHN

